

APPVNIO SVO  
S.  
PRAESES

*P*ari commendatione cum HARRERO, qui communis noster amicus, et superiori anno iisdem honoribus ornatus fuit, ad quos consequendos viam TIBI nunc pandis, dignum TE censeo. Non mediocre enim oblectamentum utriusque Vestrum, qui mecum aliquamdiu vixistis et habitastis, incomparabilis vitae ac studiorum ratio mihi attulit. Eadem igitur felicitate, parilique gloria, quae virtutis merces, ut in posterum laete fruamini, TVque, mi APPVNI, quem seorsim nunc appello, ut eodem tramite virtutis ac honestatis, quem ingressus es, pergas, novosque hinc TIBI virtutis Thyrsos conficias, novos amoris, summa meorum votorum est: quam si consequutus fuero, felicem me ter et amplius deputabo. Scribebam Götting.

mens. Mart. 1768.

